

*Nicola de Baboni e Giovanni di
Notar Pietro trascrivo in latino
un antico documento greco*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Nicola de Baboni e Giovanni di
Notar Pietro trascrivo in latino
un antico documento greco*

1323-01-29

In nomine Domini nostri Iesu Christi Amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo secundo, die vigesimo nono mensis Ianuarii sexte inditionis. Regnante Serenissimo Domino nostro Roberto Dei gratia Excellentissima Hierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, Folcalquerii, ac Pedimontis Comite, regnorum suorum anno quarto decimo feliciter Amen.

Nos Ioannes de notario Petro iudex terre Mese, Nicolaus de Baboni publicus eiusdem terre Notarius, et testes subscripti ad hoc vocati specialiter et rogati, presenti scripto publico notum facimus, ac testamur. Quod discretus vir notarius de Musolino habitator terre Calanne in nostra presentia constitutus, ostendit nobis quondam instrumentum testamentale in greco idiomate scriptum, tenore subscripto, et petiit nobis nostrum, et qui supra Iudicis et Notarii officium implorando, ut praedictum istrumentum de greca litera in latinam transferre, et in publica forma redigere deberemus in sui cautelam ad ostendendum ipsum in iudicium, et extra iudicium, quatenus opus fuerit. Nos autem suis precibus iustis ut pote annuentes instrumentum ipsum quod vidimus, legimus, et inspeximus diligenter, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sua parte mutatum, vel vitiatum, autoritate iudiciaria interposita in presenti publico documento, nil ei addito, mutato, seu dimisso, per manus mei predicti Notarii in utraque literatura in greca scilicet, et latina experti, fideliter de greca litera in latina de verbo ad verbum, et de intellectu ad intellectum, cum attestationibus suis transtulimus, et in publica forma redigimus, ut petitum est cuius instrumenti tenor per omnia talis est.

Unde ad futuram memoriam et ut de presenti transumptu, tamquam de predicto scripto originali depublicaretur, ipsius fides valeat adhiberi presens per manus mei predicti Notarii publici, nec non qui supradicti Iudicii, Notarii, et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Actum Mese, anno, die, mense, et inditione premissis. † Ego Ioannes de notario Petro, Iudex terre Mese viso considerato, et prolecto videlicet scripsi, et subscripsi. † Ego Philippus de Barone viso, autentico et prolecto videlicet testor. † Ego Nicolaus Calarcus viso videlicet testor. † Ego Guglielmus de Calabro viso videlicet testor. † Ego Ioannes de Protopapa viso videlicet testor. † Ego Presbiter Robertus de Protopapa terre Mese viso videlicet testor. † Ego qui supra Nicolaus de Baboni publicus terre Mese Notarius predicta scripsi, et subscripsi.